



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Columba Symbolum mentis integræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

piani nobilem, sanguine & virtute ad posteros propagatam; ex avita stirpe, & multis trophæis ornata, *uno avulso non deficit alter*. Majorum decora per æmulos traducuntur ad posteros. Strenuitatis argumentum ab antiquis Germanis habitum est, ex auro, argenteve obtenta folia. Henricus Thuringiæ Landgravius Northusiæ decursionem militarem, seu hastiludium instituit: Bravium erat, arbor ex aureis & argenteis foliis erecta. Singulis concurrentibus & frangentibus hastas, sed in sessione permanentibus, argenteum cessit folium, si quis autem adversarium ex equo dejecisset, aureum ei dabatur. Ita Chronic. Misnense.

II. (b) *Columba Aeneæ duces.*

Aeneam ad arborem felicem geminæ duxere columbæ pravosantes. Sunt enim innocentia, mentisque excelsæ symbolum: nam aves hæ amant tecta candida, & summa domorum petunt. Lata auspicia per columbas duci, ex divinis quoque litteris discimus. ps. 67. Laudantur columbarum *penna deargentata, & posteriora dorsi aurea*. Ab argento nimirum, seu puritate vitæ, ac mentis integritate transitus est ad felicitatem auream, olim in Elysiis hortis, hoc est, in cœlo obtinendam.

III. (c) *Facilis descensus averni*, Sed revocare gradum, hoc opus, hic labor est.

Inter Sibyllæ effata, etiam hoc fuit:

----- Facilis descensus Averni;  
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:  
Sed revocare gradum, superâsque evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est.

Quibus versibus innuitur, facilem & proclivem esse lapsum in vitia, sed difficilem reditum ad virtutem. *Socrates* cum aliquando in colloquium cum *Theodota*, meretrice famosissima, venisset, quæ *Callisthenem*, *Socratis* discipulum, blandis ad se verbis trahebat, Philosopho dixisse fertur: *Ego quidem, ô Socrates, multò te superior sum. Nam cum tu neminem ex meis à me possis abalienare; ego cum libitum est, tuos omnes à te avoco.* Cui is respondit: *Non mirum quidem hoc. Tu si quidem ad declivem tramitem omnes rapis; ego verò ad virtutem duco, ad quam arduus plerisque & insolitus est ascensus.* Nimirum corrupta hominum natura facile deflectit ad vitia, quorum lata est via; abhorret à virtutibus, ad quarum fastigium arduus & spinosus est callis. *Ælian.* lib. 13. hist. *Seneca* teste, vitia & flagitia sine magistro discuntur, & ea nos ad inferos mittunt. Neque laboriosum est, descendere ad illud scele-

(b) *Columba* symbolum mentis integra. (c) *Facilis descensus Averni.*